



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta
præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs
Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXII.

23. Maij. 10. Cal. Junij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45295


persuadere conetur; projectum me esse à
 facie Dei: firmâ tamen in ejus misericordi-
 am fiduciâ roboratus, non desistam per bo-
 na opera certam facere vocationem meam.

In Deū
 fiducia.

S. BERNARDUS, ser. 56. in Cant.

Prope est Dominus sanctis & electis
 suis, etiam cum longè esse videtur:
 at non æqualiter omnibus; sed alijs
 plus, alijs minùs, pro meritorum di-
 versitate.

DEUS
 semper
 prope
 est.



23. Maij. 10. Cal. Junij.

B. GUILLIELME, Monache & Sa-
 cerdos in Claravalle: cujus inno-
 centiam plurimis DEUS favoribus do-
 navit, præsertim in revelandis confi-
 liorum suorum secretis. Inter quæ il-
 lud singulare: dum aliquando ad divi-
 num Tribunal raptus, vidisti, ab irato
 Judice mundi in maligno positi scele-
 ra per universalem pœnam vindica-
 tum iri: Matrem tamen Misericordiæ
 audisti his verbis sese ferali sententiæ
 interponentem: *Parce, dilecte Fili mi,*
parce, etsi non propter illos, saltem propter
amicus meos, personas ORDINIS CI-
 STERCIENTSIS. Quæ Clementia
 R6 Regina

Floruit
 anno
 1222.

Marie
 favor
 erga Ci-
 enses.

396 ANNI CISTERCIENS.

Reginæ Angelorum adeò tuum, aliorumque corda in ejus venerationem inflammavit, ut reliqua tua deinceps vita nihil aliud fuerit, quàm vox laudis, & gratiarum actionis, pro sua in genus humanum misericordia. *Concipiat ò utinam & ipsa preces pro me ad Filium suum, Judicem aliquando meum, dicatque! Parce, dilecte Fili, huic misero peccatori, si non propter ipsum, saltem propter amicos meos Cistercienses, qui me vel in celis jam beati honorant, vel in terris mihi devotè famulantur.*

Maria
Advoca-
cata.

Obijt
Circa
annum
1131.

B. TESSELINE, magni Filij BERNARDI dignissime genitor. Tibi debet terrarum Orbis hunc Religiosæ vitæ Alexandrum, si te, ut strenuum militem laudare voluero: si pietatem tuam, atque insignem justitiam; rursus BERNARDUM velut Justitiæ solem quendam, mundi totius Dictatorem, omnium controversiarum arbitrum suspicient Regum Fasces, ac Pontificum Tiaræ. Quòd si quis fortasse quærat, quot proles ex te prodierint: huic pro responsione dicendum erit, quod olim Abrahamo fideli DEUS: *Numeram, inquit, stellas cæli:* filiorum enim, quos cælo BERNARDUS genuit, copiam, nulla, nisi Divina arithmetica assequetur. Quin ut eundem quoque
numcrum

numerum tu augeres, factus ex patre
 filius, seniles humeros jugo Religionis
 in Claravalle submisisti: meliorem à
 filio vitam, quàm illi dederas, acce-
 pturus, quippe ab illo per Vota solen-
 nia in vitam immortalem regeneran-
 dus. *Ingens privilegium, & quod soli re-*
ligiosæ pietati conceditur; ut ad primam
innocentiam iterato sacræ Professionis Ba-
ptismo redire liceat. Sed huic beneficio al-
terum superaddi à te postulo: gratiam sci-
licet Divinam, quâ tantum thesaurum in-
corruptum conservem.

Profes-
 sio Re-
 ligio-
 nis est
 alter
 Baptif-
 mus.

S. BERNARDUS, ser. II. de divers.

In Baptismate, quando nihil nobis
adhuc voluntas nostra nocuerat, sa-
tis fuerat, abrenunciare diabolo.....
Ceterum postquam mundi fallentis
illecebras, & infidelitatem propria
voluntatis manifestè sumus experti,
de cætero jam secundo (ut ita dicam)
conversionis nostræ Baptismate, me-
rito prorsus, & non ad insipientiam
nobis, non resarcire tantummodo fœ-
cus primum, sed etiam roborare soli-
citi, ipsis quoq; affectibus pariter ab-
renunciemus.

In secū-
 do Bap-
 tismo
 etiam
 affecti-
 bus ab-
 renun-
 ciandū.